



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

Veken, Frans van der

Coloniae, 1644

§ 1. Quem ob finem institutum Offertorium

urn:nbn:de:hbz:466:1-9878

stitutæ : cùm iam tamen non solùm oblatione populari communiores , sed etiam principaliores existant, haud videtur dubitandum, quin saltem moderni vocabuli usus eas potius spectet. Idem magis declarabunt sequentes Paragraphi.

§. I.

*Quem ob finem institutum Offer-
torium?*

Duplicem finem reperio : unum imitatem veteris legis , in qua victimæ , priusquam immolarentur , multis cæremonijs dedicari solebant ; alterum magisq; præcipuum imitationem Saluatoris nostri I e s v Christi . Cùm enim tota Missa , communī consensu fidelium , viua quædam repræsentatio tam vitæ quam mortis Christi existat , non decebat illam partem prætermitti , qua se , etiam ante passionem , Patri suo æterno in hostiam obtulit :

tulit : & quidem frequentissimè, aut
potius semper , continuando oblatio-
nem sui , quam iam inde à primo suæ
conceptionis momento incepit. Teste
enim Apostolo a, ingrediens mundum
ita Patrem allocutus est : *Hostiam &*
oblationem noluisti, corpus autem apta-
sti mihi : holocausta pro peccato non
tibi placuerunt : Tunc dixi : ecce venio :
in capite libri scriptum est de me : ut fa-
ciam, Deus , voluntatem tuam. Ac si
diceret: quia video insufficientiam an-
tiquorum sacrificiorum ad Te dignè
colendum, & pro peccatis placandum;
scio verò me vtrumque præstare posse
sacrificio corporis mei , quod eum in-
finem ex tua voluntate assumpsi : ecce
me paratissimum , tam ad illud, quæ
ad cætera omnia , quæ Lex & Prophæ-
tæ de me prædixerunt. Neque erat ra-
tio , cur ab actu tam heroico vnquam
desisteret : sciebat namque eum Patri
gratiissimum esse, adeo ut Apostolus b

- domini hi obitu salm. I. no 7
a *Heb. 11.* b *Ibid.*

nōstram illi redēptionem ac iustificationem speciatim adscribens, in ea nos voluntate sanctificatos affirmet: nulla quoque necessitas ad eundem subinde intermittendum cogebat, quippe qui non à sensibus & phantasmatis, sed sola scientia per se infusa dēpenderet, ideoq; pari facilitate in somno atque in vigilia exerceri posset.

Sacerdos itaque hanc Missæ partem aggressurus, illud perfectissimæ oblationis exemplar sibi ante oculos ponat, idque quò melius imitetur, cæteroscq; etiam religionis actus, qui ferè perpetui in sanctissimo hoc Officio occurunt, maiori fructu obeat, operæ pretium erit generalem illorum præxim præmittere.

§. II.

*Quæ praxis seruanda in oblatione alijsq;
actibus religiosis?*

Quod sapienter dixit D. Augustinus